



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 107. Pugna inter Regis, & Maduani Ducis copias prope Turonii pontem
inita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67246)

Sæcul. XVI.

A. C. 1589.

§. CVII.

Pugna inter Regis, & Maduani Ducis copias prope Turonii pontem inita.

Thuan. & Davil. l. c. Mem. de la Lig. t. 3. Mem. de l'Etoil. t. 1. pag. 278.

Eodem tempore Maduanus Dux occasione opportunitate usurus Franciæ Regis castra aggredi parabat, ac cum omnibus suis copiis Turonium versus movebat, ubi cruento certamini preludebatur crebris velitationibus, hæc hæc men in pugnam degenerabant, que per integram diem nonam Maji, que erat feria tertia, protrahebatur, ubi Rex quamplurimos, eosque maxime strenuos Belliduces amittebat, cum ejus copiæ pedes referrent, suamque stationem relinquere cogerentur: equidem Principis sui, ac omnium Nobilium Regem suum comitantium præsentia, necnon minora belli tormenta ad pontis aditum collocata hostium occursum præpediebant, ac certaminis exitum magis difficilem reddebant: cum vero fœderati jam potissimam suburbiorum partem occupassent, ceteras quoque sibi subjicere aggrediebantur, unde cum prosper successus eorum conatibus adspiraret, ad quascunque violentias prolabebantur, necnon ipse Dux ad omnem licentiam victori militi habenas laxabat, nec profanis, neque sacer-

cris parcebatur, ac direptis crudeliter domibus invadebantur templa, in quæ mulieres, ac Virgines cum pretiosiore suppellectili se incluserant: verum omnia in iis pari immanitate direpta, aris etiam spoliatis, necnon mulieres circa altaria, & in conspectu plerumque Maritorum compressæ, & Virgines stupratæ sunt, interim tamen iidem fœderati hisce sceleribus sese coinquantes jactitare audebant, cuncta ipsis esse permessa, eoquod Pontificis gratia freti pro Religione decertarent, & criminum suorum veniam sperare possent.

Sæcul. XVI.
A.C. 1589.

Altera post hanc pugnam die, cum vix orto sole quædam exteræ copiæ a Navarro Rege in Urbis Turoniensis opem submissæ comparerent, Maduanus Dux hunc Regem abs dubio brevi cum toto exercitu adventurum veritus, summo silentio motis primo diluculo castris Cenomanum contendit, ut quasdam copias a Fœderatis in Cenomansensi, & Perticensi Provincia conscriptas colligeret: ibidem autem edictum promulgari jussit, quo de superatis Turonii suburbiis differens plura falsa inspergebat, quæ tamen fideles Regis subditos adeo non fascinabant, ut potius Nobilium quamplurimi in Henrici obsequium redirent.

§. CVIII.